



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Wandregisilus C. 22. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

22. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 455
inprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in latomias suas postliminiò devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & unà virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam malè, ô Divites! vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. *Ex Pet. de Nat.*

Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut soli, quis sit optimus divitiarum usus, invenerint, quod videlicet divitiæ pauperem faciant, si diligantur; divitem & beatum si pro Christo contemnuntur. Guerr. serm. de omn. SS.

S. WANDREGISILUS C. 22. Iulii.

Exemplo in paucis memorando WANDREGISILUS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina currum rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risere scilicet aulæ mancipia, cum principem animum in coenum abjicere se viderunt. At intempestivos cachinos castigavit *Deus censor*, quando, qui vestes purgaret *Wandregisili* luto asperfas, è cælo palàm Ephebus adstitit, &

Ff 4

ser-

456 VITÆ SANCTORUM. 22. Iulii.
servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus
invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ de-
inceps compluria Cœnobio WANDRE-
GISILUS nobilitavit, unum etiam
ipse extraxit Fontinellense dictum, & sub
signis monachos CCC. numeravit. Ha-
buit verè ad hæc hortatorem Angelum,
qui & testem se rectè factorum & verò
apud Superos præconem etiam fore pol-
licitus est. Interea, qui Divo necem
parabat regio saltui. præfectus, à ma-
logenio correptus, sospitatorem WAN-
DREGISILUM sensit. Annonam egen-
ti monita à cælo Regina Blitildis mi-
sit. Æger acie tamen dæmonum aciem
vicit, & de victoriâ gratulantes Cæli-
tes audivit. Demum ne de cælo ipso
dubitaret, triduo antè hoc visum est
morituro patere. Ex Surio.

*Multi de Deo sperant pecuniam; multi
de Deo sperant caducos honores & peritu-
ros, aliud quidlibet à Deo præter ipsum
Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete. Re-
linque omnes amores, pulchrior est ille, qui
fecit cælum & terram. S. Aug. in Ps. 39.*

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

MAGDALENA, quæ omnium in
spem peccantium animos erigit,
utinam etiam in pœnitentiam erigeret.
Tantum lacrymatum potuit lavacrum,
cùm